

Nos utramq; his intellectam volumus secundum gl. ad d. § ac ibidem
Myns. & Vult. n. 8. Diss. Ant. Math. sequutus Joh. Fabr. & Vigl.
contendens, aliud esse, habere testamenti factionem, aliud verò, esse
alicui cum aliquo testamenti factionem. Quia verò Imp. tantum eo-
rum meminit cum quibus nobis testamenti factio est: inde colligit, non de
iis hoc intelligendum esse, qui habent testamenti factionem passivam.
Sed hæc subtilitas nullam necessitatem habet, cum impubes & prodi-
gus propter hanc ipsam causam prohibeantur esse testes, quia licet pas-
sivam habeant testamenti factionem, nullam tamen activam ob defi-
ctum judicij & voluntatis justæ. Sane hoc argumento ab activa te-
stamenti factione sumto denegatur testimonium testamentarium prodi-
go in l. is cui lege 18. D. qui test. fac. Diss. aliter. Ferret ad d. § 6.
& Güorn. in Inst. Anal. qui contra tantum activam intelligunt. (b)
ob etatis imperfectionem d. § 6. Inst. b.l. hæc consultissima 21. v. civibus
Romanis puberibus omnibus C. de testam. (c) ob animi morbum d. § 6.
l. 2. § furiosus D. de Jur. Codicill. l. qui testam. 20. §. 4. D. qui testam.
fac. Ac hoc de iis accipiendum, qui actu furiosi vel dementes. Nam si
dilucidius gaudieant sanitatis intervallis, medio isto tempore testes adhi-
biti inter prohibitorum numerum non recensentur, sed rectè adhibiti
dicuntur, cum & testamentum eo tempore sibi facere possint § præterea
1. Inst. Quib. non est permis. fac. test. Ac quam variae sint caussæ, va-
riaq; furorum genera tradit Gædd. de contrah. stip. c. 7. concl. 9. (d) Il-
le enim testimonium dicere non potest de eo quod actum est: hic verò
idem non intelligere d. §. 6. Inst. b. juncta l. discretus 10. C. qui test. fac.
poss. Diss. Reub. 1. de testib. n. 54. existimans 1. cessante hodiè pro-
hibitionis ratione (secundum eum hæc est, quod testator solennibus con-
ceptisq; verbis testes olim rogare consuevit; Uti illis tabulis cereave
scriptum est; ita lego, ita testor: vos testimonium perhibe tote.
Ulp. in fragm. r. 20; quia solennia verba in l. quoniam 15. C. de testam.
consentur esse sublata) cessare etiam ipsam prohibitionem c. cum cessa-
re X. de Appell. 2. Sufficit hodie, modo testes sciant, se rei isti adhiberi.
At ubi non voce sed præsentia opus est, mutus vel surdus rectè interve-
nit l. ubi non voce 124. D. de R. J. Sed religio mihi est à textu Ju-
ris aperto recedere, præsertim cum jam dudum tempore Justin. à foro
solennius illa contestatio sive rogatio discessisset, neq; amplius in usu esset
testamentum, quod siebat per as & libram; neq; tamen Justin. hanc